



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 169. Quomodo liceat marito uxorem percutere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

733 §. 3. In communi necessitate tenetur uxor prius subvenire marito, quam pater vel filius, quia in communi vita vir & uxor sunt unum, & tanta est inter eos conjunctio, ut debeant se semper comitari & adesse, ergo etiam ad ipsos primo spectat ad invicem levare difficultates communes in quotidianis casibus occurrentes.

734 Q. 169. Quomodo liceat marito uxorem percutere. R. Gobat in Exp. T. 10. n. 773. habet sequentia: *Observo non videri objurigatione dignos maritos, qui plebejas (etenim inter has & nobiles facio discrimen cum Castrop.) uxores, ebrias aut sectantes consortia suspecta, post gravem increpationem bis terve frustra factam ita castigant fuste vel pugnis, ut sensus doloris duret ad 4. aut 5. dies: è contra Steph. T. 4. D. 6. n. 7. dicit maritum raro uti debere verberibus, & in casu necessitatis magis moderatè; quod etiam habet Busenb. relatus n. 708, & ipsemet Gobat in Quin. T. 5. c. 29. Sect. I. etiam mollius loquitur, nam docet in hunc sensum, verba, quibus uxorem corripit maritus, possunt quandoque continere convitium & contumeliam materiale, uti habet S. Th. 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2, sic enim Christus vocavit Discipulos stultos, Apostolus Galatas insensatos; non debent tamen continere formalem, id est, non debent proferri ex intentione inhonorandi, quamvis in se contineant inhonationem, uti rectè S. Chrystost. S. Th. Tol. Regin. & alii: item non debent continere infamiam, quia uxor non cessit Juri ad famam, S. Thom. Navar. Covarr. Lesf. Molin. Fill. Unde communiter peccant mortaliter mariti, qui uxores valde honestæ familiæ temerè vocant sagas, meretrices, adulteras; aliud est, si plebejas, hæ enim communiter talia non curant, nisi re ipsa putarent* serio

seriò dici, tum enim meritò graviter apprehenderent: Marito etiam competit Jus uxorem verberandi, uti docent passim Canonistæ, quos refert ac sequitur *Sanch. de Matrim. L. 10. d. 18. n. 16.* itémque Theologi, quia vir est Superior mulieris & familiæ, ad illum autem spectat etiam pœnis exigere debitum; non est tamen licita percussio sæva sive gravis, & verberatio illa moderata debet esse etiam rara, hinc tum censetur maritus graviter, adeoque illicitè uxorem verberare, quando eam cædit gravius, quàm consuetudo loci permittat: nec referret, si biduo triduoque duraret verberum aliquis sensus.

Quid possit maritus circa bona uxoris, vel uxor circa bona sua, dicetur postea à num. 1017.

DUBIUM VI.

Quæ obligatio Parochorum erga suos.

Resp. CURATUS, sive Parochus Jure divino tenetur.

1. Residere in sua Parochia. *Trid. Sess. 23. c. 1. cc 735*

de Reformat. Barbosa. de Off. Paroch. c. 8. n. 1. alioqui in conscientia fructus non facit suos, tenenturque pro rata absentia restituere fabricæ Ecclesiæ, vel causæ piæ. Potest tamen ex justa causa & licentia Episcopi ad breve tempus abesse, v. *Navar. Cap. 25. Arz. T. 2. L. 2. c. 4. Possev. Barb. Trul. L. 4. c. 1. D. 8. n. 9.*

2. Tenetur administrare Sacramenta. Quoties & quanto cum periculo, v. *infra. Et Bonac. ad Decal. D. 6. P. 8. Possev. Barbosa. ll. cc.*

3. Orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat Missam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus saltem festis, & aliquot aliis, docet *Tol. L. 3. Cap. 5. Sed negat Suar. Kôn. in 3. P. q. 83. a. 1. d. 11. cum nullo Jure id cautum sit, v. Bonac. n. 4. Barb. l. c. cc*

4. Docere